Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



fructus meos. Et dicam. Hoc faciam. Destruam
horrea mea et maiora faciam. et illuc congregabo
omnia que nata sunt mihi et bona mea. et dicam anime mee
Anima habes multa bona posita in annos plurimos.
requiesce. comede. bibe. epulare. Dixit autem illi deus.
Stulte hac nocte repetunt a te. que autem
paratisti cuius erunt. Sic est qui sibi thesaurizat et
non est in deum dives. Feria vi. ad Thessalonicenses.

Fratres. Quid vobis adhuc revelabitur ille in-
quis quem dominus iesus interficiet spiritu oris sui. et de-
struet illustratione adventus sui. cuius adventus
est secundum operationem satanae in omni virtute et signis
et prodigiis mendacibus. et in omni seductione iniqui-
tatis his qui pereunt. eo quod caritatem veritatis non
receperunt ut salvi fierent. Ideo mittet illis deus operationem
erroris. ut credant mendacio. et iudicentur omnes
qui non crediderunt veritati. sed consenserunt iniquita-
ti. nos autem debemus gratias agere deo semper. pro vobis
fratres dilecti deo. quod elegerit vos deus primitias in
salutem in sanctificatione spiritus et in fide veritatis in
qua et vocavit nos per evangelium nostrum in adquisi-
tionem gloriae domini nostri iesu xpi. Secundum Lucam.

In illo tempore. Accesserunt ad iesum quidam sadu-
ceorum qui negant esse resurrectionem. et interrogaverunt eum
dicentes. Magister moyses scripsit nobis si frater alicui
mortuus fuerit habens uxorem et hic sine filiis fuerit
ut accipiat eam frater eius uxorem et suscitet semen fratri suo.
Septem ergo fratres erant. et primus accepit uxorem et
mortuus est sine filiis. Et secundus accepit illam
et ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illam.